Fragmentarium



✝ IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS AMEN. Ego Kůnradus dei gratia Constanciensis ecclesie episcopus. Ut negocia que rationabiliter fuerint tractata valeant ad posterorum propagari, poni debent in lingua testium et scripture memoria perennari. Declaretur igitur tam presentibus quam post futuris omnibus bone voluntatis hominibus qualiter Hugo miles civis Constanciensis vulgo dictus de Bunde, dum iter sacre expeditionis ad liberandum sepulchrum domini ob amorem dei cum Friderico imperatore bone memorie quondam arripuisset, mansum unum terre sue in Languinowe in pago Turgowe situm, quam nomine predii in [illegible] possederat, monasterio sancti Johannis iuxta fluvium qui vocatur Turia sito pro remedio anime sue et parentum suorum in presencia domini sui comitis Diethalmi de Toggenburch, cuius ministerialis erat, libero et sano consensu nullis reclamantibus debita verborum sollempnitate salubriter contradidit, huiusmodi tamen forma pactionis concepta, ut ipse Hugo et heredes sui qui de lumbis eius procrearentur eandem terram de manu abbatis eiusdem cenobii haberent, et quinque solidos denariorum Constanciensis monete prenotato cenobio annuatim persolverent. Si vero ipse Hugo absque liberis decederet, eadem terra in usus fratrum monasterii irrevocabiliter rediret. Ordinavit etiam idem Hugo ut singulis annis dies anniversarii eius in prefato monasterio celebraretur. Donatione autem illa celebrata, primo tantum anno statutum censum persolvit. Sequentibus vero pluribus annis et censum neglexit, et terram violenter retinuit. Postmodum idem Hugo se recognoscens, videns quod iniuria pro predicto claustro in hac parte illata esset, se cum filiis suis obtulit conspectibus, et ipse et filii sui violentiam et iniustam eiusdem terre possessionem porrectis manibus et doctis verbis coram nobis publice resignarunt, et ipsam scilicet possessionem fratribus memorati monasterii liberam et quietam [illegible] terram de manu Kůnradi prenominati monasterii abbatis pro annuo censu in priori donatione constituto incontinenti susceperunt. Cetera etiam que in eadem donatione a prefato Hugone et filiis suis per eandem terram ordinata fuerant, inconcusse et inviolabiliter observanda sunt. Acta sunt hec in aula episcopali Constantie. Anno dominice incarnationis M. CC. X. Indictione XIII. Anno decemnovenalis cycli XIIII. Epactis XXIII. Concurrentibus IIII. C littera dominicali. Sexto idus aprilis. Presidentibus nobis. Presidente sedi apostolice Innocentio III. Anno apostolatus eius XIII. Regnante gloriosissimo Romanorum imperatore Ottone. Anno regni eius II. Imperii vero I. Nobis kathedram Constanciensem gubernantibus: Anno electionis nostre II. Consecrationis vero I. Ne autem tam racionabile negocium a perversorum calumnia in posterum valeat attemptari vel ullo modo infringi, vel etiam ad futurorum noticiam per oblivionis caliginem impediatur transferri, hanc paginam fecimus inde conscribi, et sigilli nostri impressione communiri. Si quis autem huic scripto in posterum ausu temerario contraire presumpserit, in die districti examinis ab auditione mala pertimescat. Testes qui aderant et hec viderant sunt hii: Berhtoldus de Annewilare. Ulricus de Thegerveld. Heinricus filius Liutfridi. Constancienses canonici. Laici: Heinricus quondam Constanciensis causidicus, et filius suus Kůnradus, et Marquardus Constanciensis causidicus. Ulricus de Schophe. Heinricus filius filii Salme. Anno pontomiarius. Kůnradus et Ulricus de Curia, et plures alii tam clerici quam laici. In domino feliciter. Amen.

A. D. 1210. — Urkunde des Bischofs Konrad von Konstanz.

St. Gallen, Stiftsarchiv, Urkunden P. P. 5. B. 1.

License: public_domain – Various Locations, Generic Collection, , Tafel 89 – Franz Steffens, Lateinische Paläographie (https://fragmentarium.ms/view/page/F-12v1/7415/60074)